

nec aliquam operationem vitalem elicit: ita et anima per peccatum mortua, nullum opus vivum, seu aeternae vitae meritum producit.

O homo peccator, si in statu gratiae esses, singulis momentis apud Deum mereri, ac quolibet jejunio, qualibet eleemosyna, et quolibet vel minimo bono opere novos gloriae gradus comparare posses: sed quia per peccatum mortuus es, nullum ex tuis operibus vivum et meritum est. Quare exurge a mortuis, surge a peccato; et, ut ait sanctus Eucherius, da mortem peccato, quod Christo, animae tuae et bonis tuis operibus mortem infert. Da mortem peccato, illudque poenitentiae gladio interfice: *Veterem hominem cum actibus suis gladio poenitentiae enecamus.* Christi, animae et operum tuorum infensissimus hostis est mortale peccatum: quare esto et tu illius hostis, illi insidias para, et poenitentiae gladio illud interfice. Non imiteris eos, qui per poenitentiam peccata a se ipsis ad tempus solummodo expellunt; sed ea gladio poenitentiae ita occide, ut nunquam imposterum in te vivant. Non amplius in te vivat spiritus luxuriae, spiritus avaritiae, spiritus gulae, vel cujuslibet alterius peccati. Hoc si facias, aeternum in caelo cum Deo et Sanctis omnibus regnabis. *Amen.*

## CONCIO V.

### DE DEI BONITATE ERGA PECCATORES.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiae 27, 9).*

Misericordia Dei est faustum sidus, quod a summo caelo omnia sublunaria illuminat. Et sicut sol iste materialis aurata in haec inferiora jaculatur radios, quibus malos simul cum bonis irradiat: ita et Deus solem bonitatis et misericordiae suae oriri facit super bonos et malos, ac utrosque collustrat, et be-

nignis influxibus fovet. Imo et videtur, Deum apud quem non est acceptio personarum, et qui erga omnes bonum se et misericordem exhibet, majora reprobis quam probis, malis quam bonis, et peccatoribus quam justis bonitatis suae dare testimonia: *Bonus ad omnes Deus, in peccatores praecipue suam ostendit longanimitatem* (Chris. hom. 7, *De poenit.*).

Non meae nunc mentis est inquirere quae et quanta Deus pro nobis et electis fecerit: sed ut peccatores ad destruenda in se peccata allicere valeam, magnam Dei erga illos bonitatem et misericordiam proponam. Adverto, quod cum prodigius ille filius, qui totam suam substantiam dissipavit, recordabatur se peccasse in patrem, a quo et esse et alia multa bona per ceperat, ad illum adendum intus excitabatur, ac dicebat: *Ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te* (Luc. 25, 13). Quare ut peccatores ad destruenda peccata, et ad properandum versus Deum adducam, magnam ejus in illos bonitatem et misericordiam explanabo. Hoc est primum motivum, quo peccatores ad destruenda in se peccata allicere conabor. *Ave.*

Cum Pastor ovem, quam diligebat, perdidit, expectat ut veniat: si venire tardet, eam sollicito quaerit: si veniat, illam benigne recipit. Peccatores autem sunt oves stolidae, quae a Deo aberrant: et Deus erga peccatores miseros et indignos Pastoris boni fungitur munere: *Ego sum Pastor bonus* (Jo. 10, 1).

Deus quidem est Pastor bonus, qui peccatorem expectat, quaerit, et recipit; cum enim peccator criminibus suis ab eo discessit, expectat Deus, ut per poenitentiam ad ipsum veniat: si venire renuat, tum Deus mediantibus gratiae suae auxiliis sollicito quaerit: si vocatus et quaesitus revertatur, cum Deus magno cum affectu recipit. Quare ut immensam Dei in peccatores bonitatem et misericordiam delinexam, dicam solummodo, quod Deus illos expectet, quaerat et recipiat. Peccatores Deus: 1. Expectat magna cum patientia: 2. Quaerit ingenti cum sollicitudine: 3. Recipit summo cum affectu. *Patientia Dei* peccatores expectantis: *Sollicitudo Dei* peccatores quaerentis: *Affectus Dei* peccatores recipientis; en tres hujus concionis partes.

## I PARS.

*Patientia Dei peccatores expectantis.*

Dei dominio subsunt peccatores; qui quidem criminibus suis a Deo elongari possunt, sed ab ejus jurisdictione subtrahi non possunt. Licet enim Deus præcepta sua ab iis violari sinat, iis tamen permittit nequit, ut ejus se potestati et jurisdictioni subducant. Faciant impii quod voluerint, sub potente Dei manu semper remanent, ejus semper dominio subsunt, ac semper sortis eorum ille est arbiter; vite et mortis illorum ille semper est dominus; et penes illum est vitam illis prorogare, vel auferre. Imo, si vellet, ad tartara eos præcipitare posset, mox ut mortale aliquod perpetrarunt.

Hoc quidem posset Deus: et si hoc ageret, de illo nullo modo conqueri possent peccatores. Sed tanta ejus erga illos est bonitas, ut licet eum graviter offenderint, non tamen eos statim sempiternis addicat supplicis; quin contra, magna cum benignitate eos conservet, nutriat, gratiæ suæ auxiliis foveat, ac magna cum patientia expectet, ut ad ipsum revertantur: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum* (Ro. 9, 22). Peccatores sunt vasa hæc, iræ Dei digna, apta ad interitum, et tartareis flammis idonea: tanta tamen Dei bonitas et patientia, ut in hæc iræ suæ vasa, seu in peccatores non irascatur, nec eos protinus ad tartara mittat: sed eos sustineat, ac peccata eorum quasi dissimulet, expectans ut per penitentiam ad ipsum veniant: *Dissimulas peccata hominum propter penitentiam* (Sap. 11, 24).

Hanc Dei, peccatores ad penitentiam expectantis, patientiam et bonitatem adnotavit Habacuc, dicens, eum quasi mutum et cæcum factum esse: *Mundi sunt oculi tui, ne videas nulum et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis ad iniqua agentes, et taces?* O Domine, inquit Propheta, tu nosti corda et opera hominum; nil te latet, nec te latere potest: et

tamen videris non habere oculos, ut aspicias et intuearis scelera, quæ singulis momentis adversum te perpetrantur. Quot blasphemi, quot sacrilegi, quot adulteri, quot omnis generis peccatores mandata, legesque tuas violant? Et tu, quasi mutus esses, nec unicum verbum profers, ut poterviam illorum coercas: *Respicis ad iniqua agentes, et taces.* O Domine, ut quid tam benigne erga peccatores tegeris? Loquere, Domine, argue, objurga, increpa hos insensatos: exurge, Domine, extende manum tuam, et dissipa infensissimos illos gloriæ tuæ hostes: percutite, opprime, occide, annihila illos læsæ majestatis divinæ reos: mitte illos ad tartarum cruciandos. Hoc sane facere posset Deus, et hoc tandem aliquando faciet, si non convertantur. At tanta ejus in peccatores bonitas et patientia, ut non statim adversus eos sæviat, nec illos continuo puniat; sed ad tempus peccata eorum dissimulet, et quasi non videat, expectans ut ad ipsum per penitentiam revertentur: *Dissimulas peccata hominum propter penitentiam.* Posset quidem illos statim plectere, inquit Guericus Abbas, sed omnia scelera eorum dissimulat, ut eos ad penitentiam expectet. *Etsi potestas et terror apud ipsum est, totum tamen interim dissimulat, donec penitentem parcat.*

Patriarchæ Noe temporibus, omnis caro corruperat viam suam; et ideo Deus, quasi eum pœniteret fecisse hominem, universum genus humanum generali diluvio submergere statuit: sed viginti supra centum annis priusquam fieret hoc diluvium, Noe misit, ut peccatoribus penitentiam prædicaret, ut eos de futuro cataclysmo præmoneret, ac ut iis annunciaret, quod si converterentur, iram suam ipse comprimeret, et ultricem manum suam non experirentur. Cur voluit Deus Noe toto hoc tempore prædicare, clamare, monere, minari, et exhortari homines, ut fugerent a facie arcus? Cur has Deus peccatoribus dat inducias? Cur tot homines horrendis deditis peccatis videns, non statim terræ præcipit ut suum aperiatis sinum et eos deglutiat? Cur tigribus, leonibus, lupis et aliis feris animantibus non statim præcipit, ut eos rapiant et devorent? Cur igneam, aërem et omnes creaturas non armat adversum rebelles et pro-

tervos illos homines, ut illos destruat? Quod si eos aquis suffocari decrevit; cur non subito aquas mittit super universam terram? Cur centum et viginti annis expectat, antequam cœli cataractas aperiat? Hoc fecit Deus, inquit S. Basilius, ut peccatores expectaret ad penitentiam: *et ut peccatores ad penitentiam traherentur* (S. Basil., orat. 5). O mirabilem Dei erga illos peccatores patientiam? Miranda quidem: sed eadem etiam patientia et bonitate Deus erga alios omnes peccatores plerumque utitur. Non enim illos statim atque peccaverunt, plectere solet, sed eos aliquanto tempore expectat, ut ad penitentiam agendam illos inducat: *Patienter agit propter eos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti* (2. Pet. 3, 9). Cum quis homines in gravia inciderunt peccata, posset statim iis Deus dicere: *discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (Matt. 25, 41): in tartaream fornacem cruciandos mox illos mittere posset: sed præ nimia sua bonitate aliquamdiu eos ad penitentiam expectat: miramini hanc Dei erga peccatores bonitatem et patientiam.

Præclare adnotavit Chrysostomus, Deum ad mundum universum construendum sex solummodo dies impendisse; et ad unicam civitatem Jericho destruendam septem dies consumpsisse: *Mundum universum sex diebus construit, et unam urbem septem diebus solvit*. Plus temporis insumi solet in construendo, quam in destruendo: cur ergo Deus, qui cœlum, terram, maria, ac omnem hunc visibilem mundum, et qui in eo est, ornatum, sex diebus faceret, unicæ civitati destruendæ septem dies impendit? Hoc fecit Deus, ut hujus civitatis incolis penitendi tempus daret. Hanc enim civitatem una die, hora una, aut etiam uno momento diruere poterat: sed ejus eversioni et ruinæ septem impendit dies; quia expectabat, ut Jericuntini cives ad se reversi penitentiam agerent, et dato tempore ad conversionem suam uterentur. Quod autem respectu illorum fecit; hoc et facere solet Deus respectu aliorum peccatorum. Dicimus enim nonnunquam intra nos: quare hic et ille impius prosperantur in sæculo? Cur permittit Deus, hunc usurarium, hunc libidinosum hominem, et iniquum hunc judicem in hoc

mundo adhuc vivere? Cur in impiis, mox ut peccaverunt, sua non vibrat fulmina? Vis scire cur? *expectat Deus ut miseretur vestri*. Hæc omnia fiunt ex Dei bonitate et patientia, quæ tanta est, ut peccatores ad penitentiam expectet.

Jonas in mare precipitatus, et ab inmani ceto devoratus, triduum in vivo hoc carcere latitavit, donec cetus Prophetam in littus eiecit, ut Ninivitis concionaretur, et urbis Ninive eversionem post quadraginta dies futuram prænunderet: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*. Cur non statim Deus civitatem Ninivem subvertit? Cur huius urbis subversionem et excidium longe antea prædici vult? Hoc ita fieri vult Deus, ut Ninivitis det penitenti tempus: *Misit ad eos Prophetam, ut dicente illo: Adhuc quadraginta dies, qui condemnati fuerant, non perirent, sed agentes penitentiam, impetrarent misericordiam Dei* (Origen., ho. 1 in Jerem.). O non satis mirandam Dei erga Ninivitas clementiam, et patientiam! Cui non est dissimilis portentosa Dei bonitas erga alios peccatores: quos Deus æternis non addicit suppliciiis mox ut peccaverunt; sed illos antea monet, movet et terret, ut illos ad penitentiam aliciat: *Clementie Dei peculiare hoc est: non clam, aut silenter ingerit supplicia, sed per comminationes ea prædicit adfore: per hoc peccatores invitat ad penitentiam* (Ibid.). O quantam Dei patientiam!

Hanc Dei patientiam tantam esse dicit Tertullianus, ut aliquo modo perfectionibus ejus videatur contumeliosa: quia ex hac Dei patientia occasionem sumunt multi peccatores in Deum gravius peccandi, scelera sua multiplicandi, et in iis perseverandi: *Sustinet Deus ingrattissimas nationes..... luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolentem persequentes, ut sua sibi patientia detrahat*. Si Deus impiis, mox ut peccaverunt, graviter plecteret, majori cum sollicitudine imposterum a peccatis caverent. Si cum hic blasphemus in horrendas coram omnibus blasphemias prorumpit, eum statim Deus satanæ cruciandum traderet, adstantes terrentur, et a blasphemis accurate absterentur: si prima vice, qua in fornicationem, adulterium, sacrilegium, vel aliud quodcumque grave

crimen homines incidunt, eos subito Deus interimeret, alii sollicitiores essent in præcavendis et vitandis criminibus: et sic patientia sua Deus sibi injuriam quodammodo facere videtur: *Sua sibi patientia detrahit*. Mavult tamen Deus injuriam sibi a peccatoribus fieri, quam suam in eos non ostentare patientiam: quare summa patientia illos ad penitentiam expectat: *Expectat Deus ut misereatur vestri*.

Miramini portentosas hanc Dei in peccatores patientiam, qua quidem non ad penitentium et ad destruenda in nobis quæcumque peccata alicere debet. Heu! si prima vice, qua in Deum mortaliter peccavimus, protinus mortui essemus; quid de nobis actum esset? Nonne mox in infernum præcipitati fuissetis? Nonne terribilibus tartari suppliciis fuissetis adjudicati? Certe ex tunc in formidandam inferni fornacem missi fuissetis. Quare cum tanta Dei in nos extiterit bonitas, ut post tot adversus illum perpetrata scelera, nos adhuc ad penitentiam expectet, laudemus eum, benedicamus ei, pro tanto beneficio immortales ei gratias referamus, ac serio et prompte penitentiam agamus: *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam fuis lacrymis postulemus* (Judith. 8, 14).

Non imitemur sceleratissimos, et induratos illos peccatores, qui ex immensitate clementiæ et patientiæ Dei, peccandi licentiam sumunt. Non dicamus cum impiis: Deus bonus est; ergo licet adhuc in peccatis perseverem, mihi indulgebis. Non dicamus: Deus ad penitentiam expectavit; ergo et aliquibus adhuc annis me similiter expectabit. Non sic ratiocinandum; sed dicendum, quia Deus ita bonus fuit, ut usque nunc me ad penitentiam expectaverit, eius amplius non abutar patientia, sed absque ulla mora me penitentiae operibus accingam: *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam fuis lacrymis postulemus*. At peccatores sua destruere debent scelera, non solum quia Deus ita bonus est, ut eos expectet cum patientia, sed etiam quia ita bonus est, ut eos sollicitè quaerat.

## II PARS.

*Sollicitudo Dei peccatores quaerentis.*

Deus, qui ab aeterno peccatores ita dilexit, ut ex mera sua bonitate eos, per Adami peccatum servos, redimere decreverit, eadem bonitate ductus, in tempore incarnari voluit, ut eos quaereret et salvaret: *Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat* (Luc. 19, 10). Quam Dei peccatores quaerentem admiratus Augustinus ait: *Venit pius Deus, venit pro pietate et bonitate sua, venit quaerere, et salvum facere quod perierat: quaesivit, et invenit, et humeris suis reportavit ad caulas gregis*.

Peccatorem quaesivit Deus homo factus, totoque vitae suae tempore errantem hanc ovem quaerivit. Et quod tunc visibiliter per seipsum operatus est, nunc invisibiliter agit; nec cessat jam per gratias suas peccatorem miserum et indignum quaerere. Quotidie stat ad ostium cordis ejus; ibi pulsat; ibi clamat, ut eum perditum quaerat, et errantem revocet: *Ecce sto ad hostiam, et pulso*.

Deus qui est summum bonum, quo nil majus excogitari potest, ab omni curia caelesti honoratur: eum laudant Angeli, adorant Dominationes, et omnes creaturae glorificant, excepto homine peccatore, qui in eum impudenter insurgit, et qui majestatem ejus inique offendit. Tanta tamen Dei est erga peccatores bonitas, ut eos licet indignos, licet miseros, licet læsæ majestatis divinæ reos, per gratias suas quaerat, et ad sui amicitiam revocare contendat. O magnam Dei peccatores quaerentis et revocantis bonitatem: *Quis non stupeat charitatem Dei sprete, et revocantis?* (S. Bernard. ser. 3 in Cant.).

Querit a Deo Propheta, quid sit homo, *Quid est homo, quod memor es ejus?* (Psalm. 8, 5). Equus est ille homo, quem Deus ita amat, ut illum sollicitè quaerat: *quid est homo?* Certe si recte sentiamus, homo est immunditiæ sentina, scopus

infortuniorum, miseriarum chaos, pelagus inconstantiae, *imbecillitatis exemplum, temporis spoliū, fortunae ludus, mutationis imago, invidiae et calamitatis trutina* (Aristot.). Homo est ingratus Dei filius, in carne infirmus, inordinatus in spiritu: in affectibus bestialis, ad pia monita surdus, promptus ad peccata, ad virtutes tardus, et tandem mortis tributarius. Vis adhuc perfectius nosse, quid sit homo? audi sanctum Gregorium Nyssenium, dicentem: *Homo secundum Abrahamum terra et cinis; secundum Isaiam fœnum; secundum Davidem ne fœnum quidem, sed fœno similis est; secundum Ecclesiasten vanitas*. O magnam hominis miseriam! Et tamen hominem hunc miserum, infirmum, rebellem, peccatorem, et majestatis divinæ contemptorem Deus respicere et querere dignatur: *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?* (Job. 14, 3). Deus, cujus magnitudinis non est finis, querit hominem parvum et miserum: Deus cœlestium, terrestrium, et infernorum Dominus, cujus dominio omnia subsunt, hominem querit egenum et pauperem; Deus omnipotens, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, hominem debilem et infirmum querit; Deus, omnis beatitudinis centrum et origo, hominem querit infelicem et infortunatum; Deus sanctus hominem peccatorem; rebellem et indignum querit, cum ille majestatem ejus spernit, et multiplicatis sceleribus offendit. O stupendam, et incomprehensibilem Dei peccatores querentis bonitatem! *Quis non stupeat charitatem Dei spretri, et revocantis?*

Vos hand dubie non latet prodigium portentosse illius petrae, quæ Israelitas in deserto comitabatur, et ex qua fluebant fontes uberrimi, ad potandum hunc Dei populum sufficientes: *Bibebant autem*, inquit D. Paulus, *de spiritali consequente eos petra*; seu, ut explicat Hugo Cardinalis, *bibebant de mystica sequente eos petra*. Hæc petra, ut ait S. Hieronymus, *volvebatur in medio castrorum, nullo hominum impellente, emittens largissimos ruculos ad satietatem populi et jumentorum*. Quam mirabile erat videre petram volubilem, rivos aquarum continue emittentem, et Israelitas quocumque pergerent sequentem! Sed quid hæc significabat petra? *Petra autem erat Christus: ut*

subdit D. Paulus. Hæc petra significabat Christum, qui peccatorem sequitur, ut illum convertat; hæc petra est Dei misericordia, quæ undequaque effundit uberes gratiæ fontes: et quæ ingratos peccatores querit, et sequitur, ut illos ad penitentium alliciat: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite mee* (Psalm. 22, 6). Suis se criminibus a Deo separat peccator; derelinquit Deum factorem suum, ut inanibus adharat creaturis; est profugus super terram, sicut alter Cain; tanta tamen Dei erga peccatores est bonitas, ut eos quantumvis inimicos, induratos, et obstinatos, per gratiam suam querat, et ad penitentiam vocet; misericordia ejus illos semper et ubique sequitur et querit; *Misericordia tua subsequetur me*. O mirabilem, inquit Bernardus, Dei peccatores querentis bonitatem; *Mira Dei querentis dignatio!*

Postquam peccavit Adam, abscondere se, et fugere conatus est: *Abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini* (Gen. 3, 5). Cum autem fugit Adam, non illum derelinquit Deus; sed illum sollicite quæsit, et vocavit; *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?* Hanc Dei erga Adam bonitatem ponderat, et miratur S. Chrysostomus, dicens quod hæc verba: *Ubi es?* quæ Deus Adam querens protulit, misericordiæ ejus magnitudinem plurimum manifestant: *Ipsum dicere: Ubi es? plurimam habet misericordiæ vim*. Hæc verba: *ubi es?* non sunt verba Dei ignorantis ubi esset Adam, sed sunt verba Dei miserentis, querentis, et vocantis Adam ad penitentiam; *Eum vocat et requirit, dicens, Adam, ubi es? per hoc quod vocat, signum dat, quod ad penitentiam revocat* (S. Greg. lib. 2, Mor. c. 4). O magnam Dei bonitatem ergo protoparentem nostrum! Sed o magnam etiam ejus bonitatem erga omnes peccatores! Sicut enim Adam lapsus quæsit, ita et omnes prorsus peccatores querit, et ad penitentiam vocat. Omnibus clamat, omnesque per gratiam suam ad conversionem sollicitat; omnibus *profert verba sua; dicens: Convertimini* (Prov. 1). O mirandam Dei peccatores querentis bonitatem! quam ab omnibus perpendi, et serio ponderari optat sanctus Gregorius: *Ponderate*

*fratres, pondus tantæ pietatis. Ecce vocat, et quos inquinatos denuntiat, amplecti querit.* Hanc Dei in vos pendite misericordiam: hanc non segniter considerate; ac Deum, quærentem vos, sedulo quærite. Ne fugiatis a facie Domini; oblatam vobis ejus gratiam ne respuatis: sed Deum quærentem vos, et ipsi quærite. Quærit ille vos per gratiam, quærite illum vos, et ad Deum revertimini per sinceram cordis, vitæ et morum conversionem: *Queramus et revertamur ad Dominum* (Thren. 3, 14).

Non fugit Deus, sed quærentibus sese ultro offert, modo ex toto corde quaeratur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris* (Deut. 4, 29). Si simul cum eo mundi divitias, carnis illecebras, et terrenas voluptates quæras, Deum tuum non invenies, quia totum cor petit, et toto corde quæri vult, ut inveniat: *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris* (Joel. 2, 12). Audite Dominum clamantem: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Non vult Deus dimidiatam, sed integram esse conversionem vestram; non vult, ut ad eum veniatis dimidia solum cordis parte, sed ex toto corde. Sincere ergo, sollicite, et ex toto corde quærite Deum; cujus tanta in vos bonitas, ut vos sollicite quærat. Sed tanta etiam Dei in peccatores bonitas, ut eos ad illum venientes benigne et summo cum affectu recipiat.

### III PARS.

#### *Affectus Dei peccatores recipientis.*

Filius ille prodigus (de quo sanctus Lucas Evangelista) non primogenitus, sed secundo natus erat; qui, licet bene sibi esset apud patrem, portionem tamen substantiæ, quæ illi contingebat, petiit: eaque a pio parente obtenta et percepta, peregre profectus est in regionem longinquam, ubi facultates suas dissipavit: *dissipavit substantiam suam.* Statim vero ac infelix ille

filius in se reversus ad patrem redire statuit, tanto cum affectu a patre receptus est, ut eum osculatus sit, ei stolam primam dederit, ac de ejus reditu magnum exterius gaudium testatus sit, omnesque domesticos testari voluerit.

Pius ille Pater, inquit Tertullianus, est ipse Deus: *Quis nobis intelligendus est Pater? Deus, scilicet; tam Pater nemo, tam pius nemo.* Illius autem patris filius rebellis et prodigus est homo peccator, qui abiit in regionem longinquam, cum per lethale peccatum ab eo discedit, ibique suas dissipat facultates; quia per unicuique mortale peccatum, in quod labitur, omnia gratiæ sanctificantis dona in anima ejus destruntur. Si tamen per penitentiam ad Deum revertatur, summo cum affectu ab eo recipitur; quia Deus: 1. de ejus reditu gaudet, ac totum cœlum gaudere vult; 2. Dat ei Deus osculum pacis, ac pacem et omnium peccatorum veniam ei concedit: 3. Gratiae suæ stolam, multaque alia ei spiritualia bona confert.

1. Cum filius prodigus ad patrem rediit, de ejus reditu gavisus est pater, et de eo omnes domesticos gaudere voluit. Tunc enim, ipso præcipiente, factæ sunt epulæ, et audita est symphonia: *Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est* (Luc. 15). Ecce primum testimonium singularis hujus affectus, quo pius pater redeuntem filium prodigum recepit. Sed hoc est etiam testimonium maximi affectus, quo Deus peccatores ad illum revertentes recipit: in cujuslibet enim peccatoris conversione gaudet ipse, ac totum cœlum gaudere vult. Gaudet quidem Deus in peccatoris conversione: *Ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia,* inquit Propheta. Tantamque Dei in conversione peccatoris esse lætitiæ ait Origenes, ut quotiescumque quis convertitur, diem festum Deus agere videatur: *Per singulos, qui convertuntur ad Dominum festivitas oritur Domino.* Cum superbus fit humilis, cum impudicus castitatem sectatur, ac cum impius quisque iniq̄uas suas relinquit vias, ut ad Deum convertatur, hæc illi ita placent conversiones, ac de iis ita gaudet, ut qualibet peccatoris conversio sit ei quasi nova festivitas: *Istæ omnes*

quorumcumque conversiones, festivitates generant Deo. At de peccatoris conversione non solum gaudet Deus: verum et Angelos, ac totam cœlestem curiam gaudere vult: *Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore penitentiam agente* (Luc. 15). Cum dolet peccator, gaudet cœlum: cum peccator lacrymatur, cœlum exhilaratur: cum penitentiam in terra agit peccator, gaudium magnum est in cœlo. Imo, pro unico peccatore, qui affligit animam contritione, qui mortificationibus corpus cruciat, qui abrenuntiat peccatis, et qui debite ad Deum se convertit, tantum est gaudium in cœlo, quantum pro nonaginta novem justis, qui non indigent penitentia, ut Deo reconcilientur. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent penitentia* (Ibid.). Magno ergo affectu peccatorem redeuntem Deus recipit, cum et ipse in ejus reditu gaudeat, et tot cœlum gaudere velit. Sed magno etiam affectu eum recipit. *Qui ei redeunti dat osculum pacis, ac ei peccatorum veniam concedit.*

2. Cum filius prodigum ad patrem rediit, a longe vidit illum pater, qui misericordia motus est; et accurrens, *cecidit super collum ejus, et osculatus est eum*. Non iratus est pater in filium redeuntem, non illi improperavit, conviciis illum non affecit, fœdas ei non exprobravit libidines: sed misericordia motus dedit ei pacis osculum; ac eum de venia et indulgentia certum fecit: *Rediens osculum charitatis a patre recipit, dum certificatur de venia et indulgentia* (V. Beda). Ecce aliud testimonium affectus paterni erga prodigum revertentem: et ecce etiam aliud signum affectus, quo Deus peccatorem redeuntem recipit. Osculatur enim eum, eique dat osculum pacis: quia veniam, et omnium peccatorum, quantumvis gravium, indulgentiam ei concedit. Quod ita certum est, ut asserat Deus, quod si peccator ad ipsum redeat, ipse ei pareat, ei indulgebit, et quasi multiplex erit ad ei ignoscendum: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserabitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*

(Is. 55, 7). Quomodo Deus multus est ad ignoscendum peccatori? *Multus est, ut exponit Hugo Cardinalis, quia peccata nulla, magna et multoties dimittit*. Ne timeas ad Deum per penitentiam accedere, quantumvis multa et magna sint peccata tua: quia Deus erga peccatores ad illum revertentes ita benignus et misericors est, ut gravissima quæque peccata, quantumvis multa et iterata sint, libere eis condonet et pareat. Deus ergo peccatorem per penitentiam ad illum revertentem magno affectu recipit, eique dat osculum pacis, cum illi omnium peccatorum veniam concedat. Sed eum magno etiam affectu recipit: *Quia ei stolam gratiæ, et multa alia spiritualia bona libere largitur.*

3. Filium prodigum non solum osculatus est pater, verum et munera ei obtulit: servus enim suis dixit benignus ille pater: *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus et calceamenta in pedes ejus* (Luc. 15). Ecce tertium testimonium pereximii affectus, quo prodigum a patre recipitur: ei quippe pius ille pater dat stolam primam; seu, ex stolis et vestibus, quas in domo habeat, dat illis præcipuam: et simul eum hac stola, ei alia beneficia impendit.

Simili affecta Deus peccatorem, a servitute peccati respicientem, recipit: ei enim statim pretiosam gratiæ sanctificantis vestem confert. Et non solum eum hac stola exornat: sed ei etiam simul cum gratia sanctificante, alia dona largitur; nempe fidei, spei, et charitatis habitus: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, charitatem etc.* Hæc sunt verba Concilii Tridentini (sess. 6, cap. 7). Quibus adungere non pigebit ea, que habentur in Concilio Moguntino ultimo, cap. 7; ubi dicitur, quod peccatori, per penitentiam ad Deum revertenti, Deus cum peccatorum remissione etiam sanctificationem, et interni hominis renovationem confert. De Augusto narrat Seneca (*De benef.* cap. 27), quod cum ad illum quidam Senator venisset, veniam petiturus de nonnullis verbis adversus eum indebite prolatis, benigne eum recepit Imperator: et non solum ei

pepercit, verum et largis eum muneribus affectit. Hanc Augusti benignitatem miratur philosophus moralis: sed est, quod magis Dei totius mundi Imperatoris erga peccatores bonitatem admiremur. Sive enim adversus eum verba blasphema, impia et sacrilega protulerint, sive aliis quibusvis sceleribus majestatem ejus offenderint, si ad illum in spiritu penitentiae veniant, non solum iis indulget, sed etiam gratiam sanctificantem, fidem, spem, jus ad gloriam, et alia spiritualia dona illis confert. O magnam Dei in peccatores bonitatem!

In peccatores bonus est Deus: quia eos expectat, quaerit, et recipit: *eos expectat* magna cum patientia: *eos quaerit*, ingenti cum sollicitudine: *eos recipit*, summo cum affectu. Quare cum tanta sit Dei in peccatores bonitas, peccata vestra destruite, et ad Deum ex toto corde vestro convertimini: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est* (Joel. 2, 13). Omnis peccator, cujus anima lethali aliquo scelere est inquinata, necessario converti debet, si aeternam beatitudinem assequi, et horrenda inferni supplicia vitare velit: sed et converti debet, si inspiciat Dei bonitatem, quae in peccatores tanta est, ut illos patienter expectet, sollicito quaerat, et benigne recipiat. Ineffabilis haec Dei in peccatores bonitas, eos omnes ad conversionem allicere debet: *Convertimini ad Dominum quia benignus et misericors est*. O peccatores, poterat Deus, post primum mortale quod perpetrastis peccatum, mox ad tartara vos aeternum cruciandos mittere: et tamen vos adhuc ad penitentiam expectat. Poterat Deus vos deserere, et abjicere, cum ad illum venire neglexistis: et tamen per gratiam suam vos quaerere, et ad conversionem sollicitare non desinit. Posset tandem Deus vos, venire volentes, respicere et abjicere: et tamen si ad illum per penitentiam veniatis, vos benigne recipiet. Quare ite ad Deum qui vos expectat: quaerite Deum, qui vos quaerit; et convertimini ad Deum, qui vos benigne recipiet; et qui tandem aliquando stolam gloriae in Coelo vobis conferet. Amen.

## CONCIO VI.

DE MORTE.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum* (Is. 27).

Frequens mortis meditatio salubre est ad praecavenda omnia peccata antidotum. Sicut enim qui mortis obliviscitur, in varia scelera facile labitur, ita et qui mortis certitudinem, terrores et fallacias serio meditatur, a peccatis nullo negotio abstinet. Imo, ut sentit Joannes Climacus, qui mortis meminit, in peccata cadere non potest: *Nemo memoriam mortis habens potest aliquando peccare*. Cum mortis et sepulchri recordatur Job, dicens: *Dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum*, mox subjungit: *Non peccavi*. Et ratio est, quia mortis cogitatio, et sepulchri meditatio a committendis peccatis arceat. Ac etiam, ut ait sanctus Augustinus, ad jam commissa scelera defendenda et delenda alliciet: *Nil sic revocat a peccato, quemadmodum imminens mortis cogitatio*.

Peccati destructionem, tamquam unicum concionum nostrarum fructum, suscipimus: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum*. Multa quidem ad hoc potentissima nos motiva excitant: sed inter ea ultimum locum nos tenet mortis cogitatio. Quare ut vos ad peccatum in vobismetipsis destruendum adducam, hodie de morte dicam. Ave.

An inter daemones, sicut et inter homines, politicus quidam ordo vigeat, non plane mihi constat: inter illos tamen, sicut et inter nos, aliqui sunt viatores, mercatores aliqui, et aliqui pictores. Inter illos aliqui sunt viatores, qui totum terrarum orbem facile perambulant, ut unicum deprædentur justum. *Circuivi terram, et perambulavi eam* (Job. 1, 7). Inter illos etiam



nonnulli reperiuntur mercatores, qui omnia offerunt, omnia pollicentur, et omnia dare volunt, ut unicam emant animam: *Hæc omnia tibi dabo* (Matth. 4). Inter eos tandem sunt pictores industrii, qui fallacibus picturis homines innumeris decipiunt, et ad peccandum alliciunt: *Diabolus qui seducebat eos* (Apoc. 20, 10). Pictor malignus a mundi primordio fuit satanas, cum fructum vetitum ita suave et salubrem depinxit, ut Hevam ad manducandum ex eo adduxerit. Pictoris arte finctus est, cum mulierem se lavantem ita fornosam Davidi representavit, ut illum ad eam concupiscendam et rapiendam attraxerit. Nonne similiter erumenam et aliquos argenteos, ut quid summe amabile, Judæ delineavit? Sed nonne quotidie homines ad scelera multa allicit, quia talem et tantam in peccatis voluptatem depingit, ut ab iis abstinere nonnisi difficillime possint? O malignum pictorem!

Sed industrii et fallacis pictoris tunc maxime personam gerit satanas, cum mortis qualitates et conditiones hominibus explanat. *Aliis* enim mortem ad eos nunquam venturam suadet: *aliis*, eam quidem venturam inspirat; sed nonnisi post plurimos annos; *aliis*, eam suo quidem tempore venturam proponit: sed illam eos prius monituras, nec insidias eis quomodocumque paraturas, in animum inducit. O quam falsa hæc mortis imago! quam fallax hæc pictura! Ut enim jam probabimus, mors est certa, prompta, et fallax: 1. *Mors est certa*, et infallibiliter venit: 2. *Mors est prompta*, et cito venit: 3. *Mors est fallax*, et ex improviso venit.

## I PARS.

*Mors est certa, et infallibiliter venit.*

Deus nullo modo mori potest: quia vita et immortalitas ei essentialiter competunt. Sed sicut Deus est immortalis: ita et homo mortalis est, ac plusquam certum, omnes homines infallibiliter morituros: quia adversus universum genus humanum mortis sententiam Deus protulit, omnesque penitus homines

mortis adjudicavit: *Statutum est hominibus semel mori* (Heb. 9, 27). Illa Dei decreta, quæ absoluta vocamus, immutabilia sunt; et quicquid hujusmodi decretis Deus statuit, infallibiliter fit; alias mutationi et vicissitudini Deus esset obnoxius. Et ideo mortem esse certam, omnesque penitus homines semel morituros, certissimum est: quia absoluto decreto Deus omnes morituros statuit: *statutum est, etc.* Licet aliquæ leges omnibus terræ regnis sint communes: quodlibet tamen regnum speciale aliquas sibi vindicat leges, quæ in aliis regnis non vigent: sic ab Anglis aliquæ recipiuntur leges, quæ a Gallis abiciuntur; et a Gallis admittuntur aliquæ, quas Hispani respuunt. In universo autem orbe a Deo condito tria magna sunt regna, quorum quodlibet specialem habet legem respectu mortis: et hæc regna sunt cælum, terra, et inferi: *caelestium, terrestrium, et infernorum* (Philip. 2). Lex regni cælestis hæc est, quod nullus in eo morietur; et quod qui in eo sunt, vivent in æternum: *Justi autem in perpetuum vivent* (Sap. 5). Lex regni infernalis omnes in eo commorantes continue addicit morti, a qua indesinenter depascuntur: *Mors depascet eos* (Psal. 48, 15). Lex tandem orbis terrarum omnes in eo viventes ad semel moriendum damnat: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*. Ad hoc damnantur statuto et decreto immutabili, in sanctissimæ Trinitatis conclavi facto; ac proinde omnes homines morientur, morsque ad illos certo venit.

Quod ita verum, et perspicuum esse novit D. Augustinus, ut ex omnibus quæ homini accidere possunt, solam mortem certo et infallibiliter ei venturam judicet: *Cætera nostra bona, et mala incerta sunt: sola mors certa est*. Et revera de aliis omnibus quæ nobis evenire possunt, dubitanter loquimur; cumque de iis interrogamur, problematicæ et ambigüe respondemus, dicentes hæc forsân evenire possunt, forsân non eventura, ubique est, forte crit, forte non erit. Si de puero, recenter nato, quaerat quis, an diu sit victurus? respondebitur: forsân diu vivet, forsân diu non vivet. Si quaerat, an puer hic litteris sit operam daturus? respondebitur: forsân iis operam dabit, forsân iis non dabit operam. Si quaerat, an futurus sit doctus vel ignarus, stultus aut sapiens, sanus aut infirmus? semper respondebitur:

*forte erit, forte non erit.* Sed si de puero hoc quærat quis, an sit moriturus, responderi nequit cum forsan moriturum, forsan non moriturum: *Numquid potes dicere: forte non morietur?* Hoc certe dici non potest: sed absolute respondendum, eum moriturum, mortemque ad eum infallibiliter et certe venturam: quia absoluto, et immutabili Dei decreto hic puer, et omnes penitus homines ad mortem semel perferendam condemnati sunt: *Statutum est hominibus semel mori.*

Quærit regius Vates, an aliquis homo mortem sit evasurus: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* (Psal. 38, 49). Numquid Enoch, qui ut habetur in libro Genesis, translatus est in Paradisum? Numquid Elias, qui, ut in sacra Regum Historia legitur, curru vectus igneo in cælum ascendit? Nequaquam, inquit S. Gregorius: *Quia etsi Enoch et Elias nondum sint mortui, mortis tamen sententiam non evadent.* Quis ergo a mortis falce poterit liberari? quis ejus tyrannidem declinare valebit! *Non* quidem magnates; cum Alexander, Cæsar Augustus, Pompejus, omnesque famosi Monarchi qui in mundo olim floruerunt, e vivis excesserint. *Non* viri fortes robore, et potentes in sæculo; cum Sampson, Goliath, Gedeon, aliique omnes viri fortissimi mortui sint; *Non* viri scientia illustres; cum Salomon, Paulus, Augustinus, Hieronymus, et alii quique viri doctissimi diem extremum oberint: *Non* viri divites; cum Crassus, Mydas, Cræsus, et alii viri ditissimi fato functi sint; *Non tandem* viri sanctitate præditi; cum Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Dei Genitricem Mariam, ipsumque Christum omnis sanctitatis auctorem, mortuos esse constat. Si autem mortem evadere nequeant homines nobiles, fortes, docti, divites, et sancti; quis ex hominibus non videbit mortem: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* Respondet Hugo Cardinalis: *Nullus;* nullus quidem: quia mors omnes mactat; sive nobiles illi sint, sive rustici; sive fortes illi sint, sive debiles; sive docti illi sint et divites, sive ignari et pauperes: *Mors enim captivat, castat, interficit omnes, quos natura præsentem ducit ad vitam* (Chrys. serm. 118). Unde necessaria quædam futuræ mortis consequentia ex cujusque hominis

nativitate trahitur: ac quique in hoc mundo viventi dici potest, natus es, ergo morieris: *Natus es homo, moriturus es* (Aug. tract. 42 in Joan.). Quia quo homines nascuntur ex muliere, tot occiduntur a morte: *Ex quo nascimur, necesse est ut moriamur.* Dicunt Medici, hunc hominem moriturum, quia hydropicus: istum, quia pulmonarius: illum, quia peste, disenteria, vel grave febre laborat. Hæc quidem vera esse possunt: sed futura hujus, istius, illius, et omnium hominum mors ab anterioribus sumenda principii: ab eorum nempe nativitate, vel ab Adami peccato; quo factum est ut tot homines sint morituri, quot nascuntur: *Necesse est, ut quicumque natus fuerit, inde moriatur* (Aug. serm. 1 in Dom. 1 Quad.). Quis quidem nil certius, evidentius nihil; multi tamen vix sibi suadere possunt, se aliquando morituros, mortemque ad ipsos quandoque venturam. Quare ut hominum mentibus hanc veritatem altius infigat Propheta, eos morituros ait, sicut reges et principes, quos omnes a mundi primordio mortuos esse, cunctis perspicuum est: *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (Psalm. 81, 7). Nullus unquam rex, inquit Chrysostomus, crudelem mortis falcem effugit: non Saul, qui primus regni diadema induit; non David, regno dignus appellatus: non Samuel ille regum pater, qui effuso oleo, illum regno dignum declaravit; non sapientissimus Salomon, sapientia et potentia famosissimus; non alius quisquam ex regibus. Certus autem esse quisque debet, ait Propheta, quod sicut illi reges mortui sunt, ita et ipse morietur: *Sicut unus de principibus cadetis.*

Quando rusticus, vel alius aliquis ex infima populi facie in tigiuriolo moritur, ejus mors paucis innotescit: cum et quis ille fuerit, pauci noverint. Sed cum imperator, rex, vel princeps aliquis moritur, undique auditur campanarum sonitus, undequaque Sacerdotes et nobiles ad funebrem pompam conveniunt, defuncti laudes orationibus suis conciatores pluribus in locis prosequuntur; innumeris epistolis, et plurimis in diversa loca missis nuntiis mors ejus annuntiatur: ejus corpus mortuum, et institis ligatum vident multi, illud terræ mandari cernunt quamplurimi: quare nec est, qui de ejus morte dubitet. Sicut

autem certo certius est, hunc imperatorem, regem hunc, vel hunc principem mortuum esse: ita est certissimum, omnes homines morituros: *Sicut unus de principibus cadetis*. Quare cum de omnibus conclamatum sit, cum omnes sint morituri; omnibus jam dicam quod olim Caesar Augustus victis et debellatis a se Perusinis civibus dixit, nempe moriendum esse: *moriendum est*. Hi lacrymis, precibus, et oblationibus Cæsarem placare conabantur: sed ille iratus, eos omnes morti adjudicavit, semperque clamavit: *Moriendum est*. Quod autem Perusinis civibus dixit Augustus; hoc omnibus penitus hominibus jam dico: O dives impie, qui usuris substantiam pauperum sustulisti, et qui fraudibus tuis pupillorum, viduarum, et aliorum bona abstulisti, scito te esse moriturum: *Moriendum est*. O Lucifer, qui diabolica instaris superbia, qui omnibus dominari appetis, quique per fas et nefas in altum sublimari satagis, memento, quod ventus sit vita tua, quodque in favillam sis reversurus: *Moriendum est*. O insensate peccator, qui a multo tempore illicitis indulisti voluptatibus, quique tot criminibus animam tuam fœdisti; recordare, te justo Dei iudicio ad mortem esse condemnatum: *Moriendum est*. O vos, divites et pauperes, nobiles et rustici, docti et ignari, ecclesiastici et laici, regulares et seculares; vos tandem omnes, qui in hoc mundo vivitis, certi estote nullum ex vobis esse immortalem; et quod moriemini omnes, nullo excepto: *Moriendum est*.

*Moriendum est*: hac re nihil certius; multi tamen vivunt, quasi nunquam morituri. De Megarensibus ait Tertullianus, quod ampla construerent palatia, quasi nunquam morituri essent; *Megarenses ædificant, quasi nunquam morituri*. Sed heu! innumeri christiani non solum ædificant, verum luxuriæ, ebrietati, usuris, et omnibus vitiis indulgent, *quasi nunquam morituri*.

O peccator, cum certus sis, te aliquando moriturum, vive ut homo, qui moriturus est: *Si es mortalis, vive ut mortalis* (Isocr.). Ne vivas quasi non moriturus; sed crebro imminenti tibi mortis memento, teque tui ipsius hac de re sollicitum exhibe monitorem, ac futuram mortem tibi ipsi annuntia: *Hoc nobis subinde dicamus, moriendum est* (Senec. *Nat. quæst.*

lib. 6). Cum menti tuæ fœda quedam illabatur cogitatio, illam protinus expelle, dicens: *Moriendum est*. Cum urgens quedam tentatio ad illicita te movebit, dic, et intus dic: hujusmodi illicitis assentiri nequeo, quia *Moriendum est*. Cum te pravi et licentioris vitæ homines ad mala perpetranda verbis vel exemplis allicere percontabunt, resiste fortiter, dicens: talia non agam, quia aliquando moriturus, et vitæ meæ rationem Deo redditurus: *Moriendum est*. Cum Spiritum Sanctum intus loquentem, teque a peccatis abrenunciandum, necnon ad pie vivendum trahentem senties, sacris ejus motibus te promptum et facilem exhibe: fac quod inspirabit; et ito, quo trahet, quia *moriendum est*. O quam utile, quam tibi salubre, si cordi tuo alte hæreat hæc cogitatio; *Moriendum est*, moriturus sum: mors est certa, et ad me certo veniet. Hoc sæpe cogita: hoc serio perpende; hoc crebro meditare. Sed et meditare etiam: *Quod mors est prompta, et cito ad te veniet*.

## II PARS.

*Mors est prompta, et cito veni.*

In hoc falluntur plerique, quod mortem a seipsis remotam, nec ipsi post multa tempora ad ipsos venturam censeant: *In hoc fallimur, quod mortem prospicimus* (Senec.). Non desunt, qui dicant: die vivere nequeo; talis est corporis mei habitus, talis constitutio, talisque vitæ meæ ratio, ut cito mori debeam. Sed plerique aliud dicunt, et aliud sentiunt: ac dum se brevi morituros ajunt, nunquam, aut saltem nonnisi post multum temporis se morituros credunt, mortemque tunc prospiciunt, cum eam non longe ab ipsis esse dicunt. Qui juvenes, qui robusti et validi, qui nulla laborant infirmitate, diuturnam semper sibi pollicentur vitam: et, quod mirum est, non est quisquam ita senex, ita debilis et infirmus, qui se brevi moriturum certo credat, et qui spe longioris vitæ non fallatur, quia, ut dici solet, ultimum quod in nobis moritur, est spes diu vivendi. At-

tamen sciant omnes, et senes et juvenes, et infirmi et bene valentes, et robusti et debiles quod mors ad eos celeriter veniet, quodque sint cito morituri: *Memor esto quoniam mors non tardat* (Eccli. 14, 12).

Multi mortem prospicientes, ac se diu victuros præsumentes comparandis divitiis, honoribus assequendis, vel voluptatibus capessendis se totos dedunt. Alii diurnam pollicentes vitam, cum stulto divite ajunt: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare* (Luc. 12, 19). Alii tamquam certum supponentes se diu victuros, de ædificandis amplis palatiis, de mutuo dandis pecuniis, ac de pluribus rebus in futuro faciendis decernunt, dicentes: *Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tunc demum lassam et plenam senectulem in otium referam*. Sed sciant hi omnes, se cito morituros; quia *mors non tardat*. Et, ut ait Petrus.Damianus; *Qui hodie induitur purpura, cras includitur sepulchro; hodie qui hominibus dominatur, cras a vermibus factus putredo corroditur; hodie regalibus infulus redimitur; cras vilibus panniculis exanime cadaver obvolvitur; hodie splendet coronatus in regalis excellentie solio, cras foetet marcidus in sepulchro*.

Censent aliqui Doctores, Deum in hominis creatione terram ex qua illum formaturus erat, ex quatuor mundi partibus sumpsisse; ac aliquantulum terræ ex parte Orientis, aliquantulum ex parte Occidentis, aliquantulum ex parte Meridiei, et aliquantulum ex parte Septentrionis accepisse. Hocque Deum ita fecisse ajunt, ut superbo homini quatuor mundi partes originem suam exprobrarent; eique quasi continue dicerent: Memento homo, quod ex pulvere compactus sis, ac proinde diu stare nequeas, sed cito sis moriturus, et in pulverem redigendus. Quod et omnibus hominibus annunciat D. Paulus, dicens, hujus vite tempus breve esse, et qui in hoc mundo vivunt cito morituros. *Qui habent uxores, inquit Apostolus, tamquam non habentes sint, et qui flent, tamquam non flentes, et qui gaudent, tamquam non gaudentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*. Cujus rei rationem adducit, quia, scilicet,

hujus vite tempus breve est; et homines quique cito morituri sunt; *Tempus breve est*.

Hujus vite tempus breve esse, mortemque ad homines prompte et cito venire declarant ipsi damnati in inferno, cum nativitate suæ mortem immediate successisse ajunt: *Nos nati continuo desivimus esse* (Sap. 5, 13). Hi dum essent in sæculo, victuros se diu, mortemque a se longe distare, falso crederunt, et ideo lassati sunt in via iniquitatis, omnique voluptatum et criminum generi indulserunt. Sed jam cum ita mediis tartari flammis vitæ suæ tempus serio recogitant, illud ita breve fuisse, ac ita cito transisse fatentur, ut mors statim post nativitatem ad ipsos venerit; *Nos nati continuo desivimus esse*. Dic, o Cain, qui manus tuas innocui fratris sanguine purpurasti. Dic, o Juda, qui Magistrum, Creatorem et Redemptorem tuum impudenter prodidisti; dic, o Nero imple; dic, o Antioche; dicite vos omnes, qui in inferno nunc dira patimini. Dicant etiam, si velint, omnes Sancti, qui jam in Paradiso beantur; dicant et omnes, qui in hoc mundo vixerunt, an diu in eo remanserint? Certe si hos homines hac de re dicentes audiremus, faterentur haud dubie, mortem ad eos scitissime venisse, nullum fere medium iter nativitatem et mortem suam exitisse; ac mox post nativitatem se mortuos esse, et desiisse; *continuo desivimus esse*.

Quod ut plenius, perfectiusque constet, serio ponderandum, quam brevis sit vita nostra. Ilanc brevissimam esse declarat Job dicens; quod homo natus de muliere brevi vivit tempore, quodque *quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra*. Eam brevissimam censet sanctus Jacobus, dicens, quod vita nostra est quasi levis quidam vapor, cito transiens, et *ad modicum parens*. Si a sapientissimo Salomone quæramus, an diu duret vita nostra? Respondebit eam citissime transire, quodque *transibit tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, que fugata est a radiis solis* (Sap. 2, 3). Si interrogemus ipsos reprobos, qui nunc in inferno cruciantur; et ab iis petamus, an diuturna sit hominum vita? eos audiemus in Salomonis libris respondentes, eam ita brevem et transi-

toriam esse, ut transeat *tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis quæ transcolcat in aëre* (Sap. 5). Ut vitæ nostræ brevitatem exprimat D. Augustinus, ait, quod vita nostra nil aliud sit, quam *cursum velocissimum ad mortem*. Eam ita brevem credit Seneca, ut eam unicò instanti durare dicat; *In punto fugacis temporis pendet*. O quam brevis est vita illa, quam tanto affectu diligimus; o quam prompte et quam cito venit mors illa, quam tantopere timemus!

Verum quidem homines multos usque ad sexagesimum, et septuagesimum; imo et nonnullos ad centesimum annum vitam suam protrahere. Sed quid sunt sexaginta, septuaginta et centum anni respectu æternitatis? momentum unum. Quid sunt hi anni in conspectu Dei? momentum unum, et tanquam nihilum: *tanquam nihilum ante te* (Psalm. 38, 7). Velim, te mille annis vixisse: quid esset hæc tua mille annorum vita? hæc esset tanquam dies una, quæ jam præterit: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ, quæ præterit* (Psalm. 89, 4). Non dicit Propheta, quod mille annorum vita sit tanquam dies hodierna: quia dies hodierna, aliquid esse videtur, cum actu sit: sed ait, quod sit tanquam dies hesternæ, quæ nihil est, quia jam præterit: ut ostendat vitam nostram nihil esse, ac ita brevem esse, ut pro nihilo reputanda sit. O quam brevis est vita nostra! Quam cito ad nos venit mors! Sed o quam stulti homines, qui tanto affectu vitam, et tam cito labentis vitæ commoda diligunt! Refert Aristoteles, nasci in Grecia juxta fluvium Hypaui parvum quoddam animal, quatuor pedes et totidem habens alas, quod Ephemeron nuncupatur, cujus vita ultra diem unum non protenditur, tanta tamen hujus animalculi pro conservenda vita est sollicitudo, ut indesinenter ambulet, volet, ac maxima cum diligentia alimenta pro unius diei vita inquirat. Animala huic similes sunt multi, quorum tanta stultitia, ut licet brevissimum vitæ suæ curriculum esse noverint, summo tamen studio non solum quæ ad vitam necessaria, verum superflua, verum delectabilia, verum saluti noxia, verum fugaces mundi

dignitates, et vanos honores inquirant, tanquam si in hoc mundo æternum essent victuri: *Tanquam semper victuri civitatis, omnia tanquam immortales concupiscitis* (Senec. *Lib. de vit. c. 4*).

O homo, si te brevi tempore victurum, si mortem ad te cito venturam serio et sepe perpenderes, profecto sæculi pompas, corporis delicias, transitorias opes, et omnia quæ mundi sunt, non ita sollicitè inquirereres; sed *mox spretis pompis, postpositis munitis curis, contemptis deliciis, in tui custodia vigilares* (Aug., tom. 9 in spec.) Si mortem ad te prompte venturam firmiter crederes, prompte omnia in te ipso peccata destrueres, et salutis tuæ negotio citissime consuleres. Quare hoc tuo insere cordi; hoc menti tuæ sculpe: a memoria tua hoc nunquam recedat, semperquæ cogita, vitam tuam fore brevem, mortem promptam esse, et ad te cito venturam. *Ac etiam cogita, mortem esse fallacem, et ad te ex improviso venturam.*

### III PARS.

*Mors est fallax, et ex improviso venit.*

Deum enixe rogat Propheta, ut morti suæ diem ei notum faciat: *Notum fac mihi, Domine, finem meum* (Psalm. 38). Eadem omnium fere hominum est curiositas, nullus fere est, qui mortis suæ diem et horam scire non desideret, sed hunc diem et hanc horam homines latere vult Deus; asseritque mortem ad eos venturam inopinate, ex improviso, et qua hora non putaverint: *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (Luc. 12, 40). Sicut inter ciborum delicias capi, et occidi solent aves et pisces, ita homines qua hora non putant, cum diu se victuros capissent, et sepe cum illicitis vacant deliciis, a fallaci capiuntur et rapiuntur morte: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in*

*tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* (Ecl. 9, 12). Miror Amos Prophetam, dicentem, quod *occidet Sol in meridie*. Quis inquam vidit, quis audivit, Solem in meridie, seu in medio diei occidere? Nec unquam in meridie occidit, nec occidere potest Sol: quia cum occidit, non tunc est medium diei, sed finis diei. Meridies est quasi medius dies, vel medium diei, et solis occasus est finis diei: finis autem diei non potest esse medium diei, et medium diei non potest esse finis diei, ac proinde Sol non potest occidere in meridie, cur ergo ait Propheta, quod *Sol occidet in meridie*? Hoc non intelligi videtur de Sole hoc, qui quotidie super capita nostra volvitur, sed de hominibus his, quibus omnia prospera; de his, qui honoribus et dignitatibus multis fruuntur in saeculo, et qui velut soles fulgent in orbe terrarum, hoc intelligitur de hominibus his, qui sunt quae in meridie divitiarum, in meridie honorum, et in meridie voluptatum. Hi autem soles in meridie occidunt, quia cum altius sublimati sunt, et cum magis inter homines rutilant, tunc fallax eos invadit mors: tuncque repentino corruunt interitu: *Cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (1 Thessal. 5, 3).

Cum Alexander Magnus se immortalem credidit, cum in mundana prosperitate meridie esse putavit; tunc repentina morte correptus est: *Decidit in lectum, et cognovit quia moreretur* (1, Mac. 1, 6). Cum impius Balthasar omnibus se formidandum exhibet, et adversus Deum impudentius insurgit, cum in meridie suo esse arbitratur; tunc portentosam videt manum, quae mortis ejus sententiam scribit. *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis* (Dan. 5, 5). Cum Ezechias de vita diu proroganda cogitat; mox Prophetam audit dicentem ei: *Disponi domui tuae, quia morieris tu, et non vives* (Is. 38, 1). In mediis conviviis a morte deprehensi sunt Hebraei: *Adhuc esce eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*. Cum stultus ille dives, de quo in Evangelio de quiete, et de exquisitis cibis sumendis cogitat, dicens: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare* (Luc. 12,

19); tunc Deum audit dicentem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te* (Lib. v. 20). Mors tandem homines invadit, quando non putant, quando de ea minus cogitant, cum in felicitatis meridie esse credunt, ac cum vera, solida, stabili pace frui arbitrantur: *Cum dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. O quam fallax mors! O quam inopinata! O quam ex improvise ad homines venit!

De nonnullis peccatoribus loquens Propheta, ait, *veniat mors super illos*. Alia versio habet: *decipiat illos mors* (Psalm. 54, 16). Quomodo potest mors illos decipere? Illos decipere potest, et de facto eos decipit eodem prorsus modo, quo peritus exercituum dux hostes suos decipere solet. Cum enim talis quidem dux hostes suo aperto Marte aggredi non vult, ut eos decipiat, nonnumquam se ab iis longe distare fingit, cumque hi se in loco tuto esse credunt, in eos subito irruit, illosque omnes interficit. Similem in modum mors, Deo ita permittente, peccatores solet decipere, cum enim deliciis et vanitatibus vacant; cum nil minus quam mori cogitant ad eos subito venit mors, illosque ita invadit, ut prius pereant, quam se morituros cogitaverint, *mors decipiat eos*. Vel dicamus, mortem eos decipere eodem modo, quo latro, seu expilator viatores decipere solet. Sicut enim cum minus de periculis cogitat viator, cumque se magis tutum et securum censet, ex latebris armatus prodit expilator, qui illum interficit, cunctaque ejus bona diripit; similiter cum se magis sanum, cum se validiorem existimat homo, ex noxii alicujus cibi, et febriculae unius, vel e tegulae desuper cadentis latebris prodit mors, quae illum et vita et facultatibus spoliat. Et ideo monet nos Deus, quod mors ad nos ventura sit tanquam fur. *Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te* (Apoc. 3, 3). Addit D. Paulus, mortem ad nos venturam, non tanquam furem in die; sed tanquam furem in nocte: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet* (1 Thess. 5, 2). Cum fur domum tuam mediis in noctis tenebris invadere vult, non te praemonet, non ad te prius nuntios mittit, qui qua hora venturus sit, annuntient, sed cum te, tuosque somno

sepultos censet; cum te nihil de futura domus tuæ expilatione suspicari credit, in domum tuam ingreditur, et omnia quæ in ea sunt, diripit. Hoc prorsus modo ad homines venire solet mors, ad eos venit sicut fur in nocte, quia ad eos venit, dum securi quiescere putant, cum in peccatis dormiunt, cumque nil minus, quam de morte cogitant. O quam fallax mors! O quam multos decipit!

Quod ut clarius et evidentius pateat, dic, quæso, quo anno, quo mense, quo die, et qua hora sis moriturus? Hæc omnia te latent: *Nescitis diem, neque horam* (Matth. 25, 12). Certum est, mortem ad te aliquo anno, et aliquo hujus anni mense venturam, sed quo anno, et quo mense veniet, ignoras. Certum est, eam aliqua hebdomada, aliquo ejus hebdomadæ die, et aliqua hujus diei hora venturam, die autem, si scias, qua hebdomada, quo die, et qua hora veniet? Certe nescis diem, neque horam, quia mors ad te veniet *sicut fur in nocte*, qua, scilicet, hora non putabis. Quare cum nesciamus quo die et qua hora fallax mors ad nos ventura sit; omni die, omnique hora vigilandum, ut eam expectemus, et ut ad eam nos disponamus: *Vigilate utique; quia nescitis diem, neque horam.*

Non sine mysterio voluit Deus mortis nostræ diem et horam nos latere; ut enim ait D. Augustinus: *Latet ultimus dies, ut obsercentur omnes dies.* Si mortis suæ diem et horam nossent impii, omni vitiorum generi usque in hunc diem, et in hanc horam facile indulgerent; ac usque ad ultimum vitæ finem penitentiam agere differrent, si mortis etiam suæ diem et horam certo scirent justî, remissius forte virtutum operibus incumberent. Quare mortis diem et horam latere voluit Deus, ut peccatores omni die et hora a vitiis abstineant, ut justî ferventius in perfectionis via ambulent, et ut tam justî quam peccatores omni die et tempore ad mortem se præparent: *Latet ultimus dies, ut obsercentur omnes dies.*

Si certo scires, hodiernum diem esse ultimum vitæ tuæ diem: si certus esses, te intrâ jam labentis horæ tempus moriturus; magna haud dubie cum sollicitudine mox salutis tuæ negotio incumberes, statim aliena restitueres, et inimicis parceres:

ad prudentem statim et probum festinares Confessarium, cui omnia tua declares scelera: illicitis omnibus protinus abrenuntiares voluptatibus, perpetrata crimina fusis lacrymis delere conareris, ac omnia veræ penitentiae opera continuo susciperes. Hæc omnia procul dubio faceres, si scires hanc esse mortis tuæ horam, sed eadem etiam nunc facere debes, cum te lateat, an hæc sit mortis tuæ hora. Ideo enim voluit Deus, tibi ignotam esse mortis tuæ horam, ut qualibet hora ita, salutis tuæ negotio incumbas, ac si ultima hæc esset vitæ tuæ hora. *Horam ultimam ideo voluit Deus nobis esse incognitam, ut dum illam providere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur* (S. Greg. hom. 3 in Evang.).

Omni ergo hora ad mortem te præpara, ac si hæc ultima esset vitæ tuæ hora. Quotiescumque horas pulsans audis horologium, de imminente morte cogita, ac intus dic: Hæc forsitan ultima erit vitæ meæ hora: hæc forsitan hora ex hoc mundo exibo, meamque efflabo animam. Hoc intus dic, et identidem tua detestare peccata; ac ad mortem te præpara, non secus ac si protinus moriturus esses. Hoc si facias, cum veniet Dominus, te vigilantem et præparatum inveniet, tibi que regni cœlestis januas aperiet. *Amen.*

## CONCIO VII.

DE EXTREMO JUDICIO

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum* (Isaïæ 27, 9).

Sicut nil homini Christiano utilius, quam serio et sæpe formidanda Dei judicia meditari, ita nil exitiosius, quam judiciorum Dei oblivisci, nec de iis velle recordari. Ut enim ait sanctus Joannes Chrysostomus, qui judiciorum Dei meditationi